

## Wien, Österreichische Nationalbibliothek (ÖNB), Cod. 1285

Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II. Wien 1794.

1397

P O L E M I C I.

1398

*Pauli manu Stephani Ep. Ofc. sacro fonte abluti Dialogos polemicos cum Mose Judaeo habitos, qui primum lucem videre Colon. 1536. in 8. deinde in PP. Bibliothecas recepti sunt, prostantque edit. Lugd. T. XXI. p. 172. Huic Editioni probe consonat Codex, nisi, quod in Prooemio pro: ætatis meæ anno quadragesimo quarto, ut perperam, me iudice, habent Edita, absone legat: FERIA MILLESIMA. c. XL<sup>a</sup>. IIII<sup>a</sup>. pro Aera millesima, Hispanica scilicet 1144. quae cum anno Chr. 1106. rite coincidit. Inscriptio miniata est: Incipit liber. Petri. Alfunsi. Initium: Uni et eterno primo qui caret principio &c. Finis: et finem meliorem quam principium tibi prestet amen.*

Fronti Codicis adscriptum: *Hunc librum dedit dominus G. fundacioni suæ in Maurpach et valz. Lego Gerlacus; is enim, teste Leop. Brennero in Hist. Carthusiæ Maurbac. T. II. Scriptt. Rer. Austr. Hier. Pezii, col. 340. Sacris Palatinis Friderici Pulchri Praefectus et Plebanus in Dreskirchen Fundationi Ducali e mediis propriis minorem Conventum 7. Religioforum adjecit, obtentis hac super re Capituli Pataviens. Literis, quae l. cit. recitantur. Atque haec contigere intra an. 1314. et 1318. quo Gerlacus diem clausit, unde de aetate Codicis nostri aliquid statues. To Valz breviatum putem pro Vallis Omnium SS. quod Carthusiæ illi nunc abolitæ no-*  
*Denis Codd. Theol. V. I. P. II.*

men fuit. Ad Cod. porro compingendum adhibitæ sunt Literæ Urbani Papæ, quibus Abbati de Teching Dioec. Augustanae committitur cognitio causæ vertentis inter Henricum de Stof Canonicum ecclesiæ Veteris Capelle Ratisponen. et Godescalcum de linkirshem presb. Ratisponen. de Praebenda per obitum Magistri Sibotonis in illa Ecclesia vacante. Notæ chronologicae abscessæ sunt; datas tamen arbitror intra ann. 1261 — 65. ab Urbano IV. quod in illis Alexandrum (IV.) predecessorem adpellet.

CCCLXIV.

Codex membraneus lat. Sec. 384 XV. Folior. nunc 81. 4. per duas columnas exaratus, rubricisque distinctus fuit quondam Job. Sambuci, continetque Opus inscriptum: *Victoria*, quod contra Judaeorum errores elaborasse dicitur Porchetus de Salvaticis f. Sylvaticis (de' Selvaggj) Januensis Carthusianus, quodque luci publicæ exposuit Aug. Justinianus O. P. episc. Nebiensis 1520. Paris. f. cum Praef. in qua miratur, hominem christianum, eundemque monachum cartusensem Genuæ, qua in urbe ob religionis reuerentiam Judæis interdicitur habitatione, hebraeorum thesauros ita depilasse; nihil tamen de illius aetate statuit. Neque multo plus Theod. Petrejus in Bibl. Cartus. Colon. 1609. 8. p. 271. contentus dicere: *Si fides habenda est collectaneis quibusdam*

N

1399

C O D I C E S

1400

*bisdam Herbipoli ad me missis, reperio annum Domini 1315. At potuissent uterque certiora tradere inspecta P. I. c. 6. in duas enim Partes tribuitur Victoria; nam ibi aperte legitur: Adhuc est hic sciendum quod Christianis computantibus nunc ab incarnatione domini Annos. 1303. computant Iudei ab initio mundi Annos 5063. Ineunte igitur Sec. XIV. desudavit in hoc opere Porchetus usus potissimum, ut ipse in Prooemio fatetur, Pugione Fratris Raimundi Martini hispani ordinis predicatorum de partibus Cathalonie, de quo Sec. XIII. Scriptore adi Quetifum in Scriptt. Ord. T. I. p. 396. aut Fabric. Bibl. med. Lat. L. XVII. p. 40. Nescio, qui factum, ut in Cod. nostro folii 1. p. 1. vacua Prooemium incipiat p. 2. ab iis verbis: poterunt, non sic haberi apud eos. ut a nostris contra ipsos me interprete ueritas inducetur &c. Quae addo, in Editis sub finem Prooemii desunt: Huius autem libelli tenor in duas diuiditur partes. In quarum prima magis et prestancius de humanitate messie seu christi quam de eius diuinitate differitur. In secunda uero magis de diuinitate ipsius quam de eius humanitate habetur. ut a scrutantibus poterit elatius intueri. Prima pars continet capita. 24. secunda uero continet capita. 16. Horum Index utramque Partem antecedit. Partis I. c. 1. initium est: Quemadmodum diuisio continue uiguit inter Israel et Iuda &c. Operis totius finis: Ad quam*

*quidem vitam et requiem sempiternam perducatur et inducat nos dominus noster ihesus christus. Qui cum patre &c. Hunc excipit sequens clausula: Explicit Opus (erasum videtur porcheti) contra Iudeos. Per me Matheum de sancta Cecilia Veronen. Notarium transcriptum et copiatum, ac completum ad laudem honorem et gloriam — die XVI. ms. Januarij Anno a Natiuitate eiusdem domini nostri ihesu christi Millesimo quatringsentesimo Nono Indictione secunda. Amen. Christe filij dei uiui miserere nobis. Et iterum Sambuci scil. Possessoris. Quod jam vel hic, vel alius quispiam superius Porcheti nomen eraserit, vix fallar, Notam in causa fuisse, quae in Theca posteriore Libri intus sic sonat: Quidam ualentissimus hebreus yspanus qui appellabatur raby abner de ualladolid. conuersus fuit ad catholicam fidem in tempore Inclytissimi domini regis yspanie. qui appellabatur rex alfonsus de bona memoria. et Dominus rex fuit eius pater. et propter hoc habuit nomen Domini regis. s. magister alfonsus. iste composuit istum librum. s. in predicta ciuitate. item est sciendum quod istud nomen abner (אבנר) idem sonat in hebraico. quam pater luminis. et ita reperitur in Interpretationibus beati ieronimi. ideo diuisit inter lumen domini christi. et obscuritatem et tenebras perfidorum hebreorum. Dominus deus noster trinus et unus parcat ei. amen. ego magister petrus yspanus Interpretator. scripsi*

si hoc. Sed pace *magistri Petri* dixero, ipsum confudisse cum *Porcheti Victoria Alphonfi Bella Domini* (מלחמת יהודה) quae contra *R. Joseph Kimchi* Librum ejusd. tituli conscripsit, de quibus *Ambr. Morales* in *Nic. Antonii Bibl. Hisp. Vet.* T. II. p. 103. *Esto es libro de las batallas de Dios, que compuso Maestro Alphonso Conuerso, que solia haver nombre Rabbi Abner, quando era Judio.* De hoc *Alphonso* sub rege *Castellae Alphonso XI.* ad Christum traducto vide praeter *Nic. Antonium* cit. *Wolfii Bibl. Hebr.* T. I. p. 192. Obiit ille a. 1346. *Bella Domini* ipsemet etiam in linguam *Hispanam* traduxit. Fortasse *Magister* ille *Petrus* ea *Latina* fecit, et *Nota* superior ab alio aliquo temere huic Codici adscripta fuit.

## CCCLXV.

306 Codex chartaceus lat. Sec. XV. ineuntis. Folior. 24. f. per duas columnas exaratus, manu seculi sequentis inscriptus est: *Talmut et improbationes errorum ibi contentorum; Dan. vero Nesselius* ad marginem olim notaverat: *Fr. Theobaldi Ordinis Praedicatorum Disputatio contra Judaeos et reprobatio errorum Talmud.* Qua nota ad *Jac. Echardum* Ordinis Bibliothecarium *Parisi* missa, cum is inter Sodales suos Concilio *Constantiensi* adfidentes (Vide T. I. p. 757.) *Theobaldum de Saxonia* reperisset, prae-

sentem quoque *Tractatum* ejusdem nomini T. II. p. 822. quamquam dubius subjecit. Provide fane; inscriptum enim *Biblioth. Templi Mariani Stargardiae*, cujus notitiam debemus *Cbr. Schoetgenio* apud *Wolf. Bibl. Hebr.* T. III. p. 1164. autorem adpellat fratrem *therebaldum superiorem ordinis predicatorum in villa parysiensi, qui quondam fuerat judeus &c.* quamvis etiam nil repugnet virum hunc ortu *Saxonem* fuisse. Quod, si titulum *Tractatus* expendisset *Echardus*, deprehendisset, se de eo jam T. I. p. 738. egisse, ubi *Pharetram fidei contra Judaeos super Talmuth* recenset, *Anonymo* ibidem adscriptam. Est enim *Pharetra* illa pura puta *Disputatio* nostra, ut ex *Collatione* cum *Codd.* pluribus in *Indice* collectis novi. Praemittitur in praesenti *Cod.* Triplex illa *Cautela*, quae in solo *Cod. DCXV.* pariter habetur, hoc initio: *In disputatione Judeorum et contra Judeos nota triplicem cautelam &c.* Mox nominatur auctor *frater Theobaldus subprior ordinis predicatorum*, et incipit *Opus: Acuite sagittas implete pharetras &c.* ut *Cod. CCLXX.* et alias; unde *Librario* cuidam visum fuerit illud *Pharetram* inscribere. Collatum cum *Exemplo*, quod ex vetusta quadam edit. *f. l. et a. 4.* repraesentavit *Wolfius Bibl. Hebr.* P. IV. p. 556. multo prolixius est; cum enim ibi tantum errores *Talmud* exagitentur, adsunt in nostro *evictiones* etiam *veritatis christiana*e,